DE RHEUMATISMO ARTICULORUM ACUTO EIUSQUE COMPLICATIONIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XX. MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXV

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALBERTUS KRAUSE,

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

A. KUNSCHERT, DR. MED.
C. JUST, DRD. MED.
A. SCHINDLER, DRD. MED.

GRYPHIAE.
TYPIS FRIDERICI HACHE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

SACRASQUE ESSE VOLUIT

FILIUS.

Rheumatismus fuit notus jam antiquis medicis, in quo morbo maximi esse momenti censebant dolores vagos in variis corporis partibus quare nomen rheumatismi multis tales dolores efficientibus morbis tribuerunt, qui nostro tempore alia nomina ferunt, ut Phlebitis, Ischias, Pleuritis etc. Per longum tempus sententia pervagata erat, rheumatismum morbum specificum esse, aliis quandam materiam rheumaticam, scoriam, aliis mutationem electricarum cutis conditionum, profusam acidi lactici formationem, causam hujus morbi sumentibus. Nostro tempore in rem quamvis diligentius inquisitum sit, tamen adhuc non contigit, ut rheumatismi natura cognosceretur. Nunc vulgo rheumathismum statuunt vehementes dolores efficientem inflammationem esse articulorum, aponeurosium, neurilematis, periostei aut musculorum horumque tendinum neque eam traumate nasci, sed aut perfrictione aut causis nondum cognitis. Ac jam de acuto articulorum rheumatismo ejusque complicationibus in animo est disserere.

Pathogenesis et aetiologia.

Acutus articulorum rheumathismus est febriculosa

synovialium capsularum majorum et minorum articulorum aegrotatio, insignis magnis doloribus uniusque vel complurium articulorum tumore, qua in re praeterea aliorum quoque organorum, pleurae, perichondrii, pulmonum, imprimis cordis, aegrotationes frequenter existunt. Morbus quum prima pueritia senectuteque abstineat, praecipue florem aetatis capit. Dispositio alia in aliis hominibus est, hujusque varietatis quae sint causae, nescimus. Morbus praecipue validos homines eosdemque pauperes, et plures viros quam feminas corripit. Tamen jam semel vel saepius hoc morbo perfunctis maxima est dispositio, ut in iis vel causae minimae, quae aliis non noceant, hunc morbum efficiant, ac sunt familiae, in quibus haec dispositio quasi hereditaria est. Quam dispositionem Fuller St. Georgi hospitii medicus inter 246 acuti rheumatismi casus in 29 ex centum perspexit. Frequentissima denique causa est perfrictio sive ea hominibus madefactis sive in perfunctis laboribus calefactisque perflatu efficitur. Huc opificum quoque quorundam occupationes, in quibus nunc ardorem nunc frigus perpeti oportet, referendae sunt, quales pistorum, coctorum cerevisiae aliorumque habentur, nec minus habitatio in domiciliis madidis nocet. Tamen hae causae per se solae dispositione absente morbum gignere posse non videntur. Nam ut non omnis perfrictio rheumatismum infert, ita multis in casibus morbus oritur perfrictione non praegressa. Rheumatismus articulorum acutus sub madido mutabilique coelo frequentior, rarior est in regionibus meridianis, septemtrionali axi propinquos tractus fere non tangit (Fuller).

Anatomia pathologica.

Anatomicae mutationes symptomatibus horumque gradibus non semper respondent; nam frequenter in cadaverum artubus, qui vehementissima symptomata per vitam obtulerant, mutationes parvae, nonnunquam fere nullae inveniuntur, in aliis, qui quidem dolore non vexabantur, gravia producta nata sunt. Quae mutationes in aliis casibus leves exiguaeque sunt ac tantum modica hyperaemia synoviarumque parva auctione levique turbatione constant, in aliis casibus gravior est hyperaemia. In tela, quae soluta et tumefacta apparet, cruenta extravasata et erosiones inveniuntur. Artuum cavernae sunt completae tum synovia multa tenacique tum pure magis minusve denso, interdum cruentato, ossium extrema sunt injecta trajectaque cruentis extravasatis. Quae conditio si diutius manet ut ossium extrema conficiantur, facile articuli perfringi possunt. Sanguini, qui casibus intentis fere semper apparet mutatus, saepe est crusta phlogistica; massa fibrosa aucta, sanguinis seri albumina frequenter sunt minuta (Vogel). In crusta phlogistica Bouchardat in hoc morbo glutinum se invenisse disputat. Nonnunquam sanguinem in acidum reagere ferunt. Saepenumero quum cordis aegrotationes cum acuto articulorum rheumatismo complicitae erant, infarta cordis musculaturae et infiltrationes nec minus musculorum mollities sunt inventa. Massae fibrosae coagula, quippe quae in endocarditide fere semper valvularum vegetationes tegant, manante sanguine fieri potest, ut proluantur et in diversa organa perveniant. Qui emboli efficiunt haemorrhagica infarcta et abscessus metastaticos. Si in cerebrum perveniunt,

aut apoplexia capillaris existit aut anaemia in quibusdam partibus cerebri, quae necrosi afficiuntur. Frequentissime splenis infarta prolutis embolis nascuntur, id quod ex historia quoque morbi allata colligamus licet. Praeterea emboli infarcta renum, hepatis, pulmonum creare possunt.

Symptomata et decursus.

Symptomata tum molestiis, quae magis magisque augentur, fluxuque et doloribus in uno vel pluribus articulis tum defatigatione universalique infirmitate incipiunt. Hoc stadium prodromorum fere 2 ad 5 dies durat.

Saepenumero tamen morbus subito incipit sive horripilatione sive unius vel plurium articulorum magnis doloribus tumoreque, cui rei febres magis minusve vehementes illico accedunt. Tum per primos dies aegroti levi frigore iterum atque iterum tentari solent. Frequentissime articuli majores extremitatum afficiuntur, quamvis ceteri bonam valetudinem non semper retineant. Numerus affectorum artuum variat. Maximi in hoc morbo momenti est, quod integri, quibus initio morbus abstinebat, articuli subito corripiuntur in hisque morbi symptomata summopere augentur, quum in articulis prius affectis jam minuta vel plane sublata sint. Raro affectio solos articulos singulos magis tenet, qui quidem continentur tumidi acresque manent doloribusque vexantur. Quum in articulis, qui prius aegrotaverant, tumor et dolores lente paullatimque evanescunt atque in aliis magis magisque augentur, aegrotorum conditio miserrima tristissimaque fieri potest. Laborantibus propter dolores,

quippe qui pressione vel motione intolerandum in modum augeantur, nec sua voluntate usquam moveri nec loco quem teneant, decedere licet. Qua re quum membris aegroti utantur immobilibus, si haec conditio per longum tempus manet, membra extenuantur. Hunc in modum dolores augeri possunt, ut lecti motus vel levissimus querelas gemitusque cieat. Dolores tamen articulorum minuantur licet, aliis signis localibus manentibus. Temperatura articulorum affectorum fere semper aucta, cutis saepissime subrubra apparet imprimis tum, quum articuli affecti proxime sub cute positi sunt, ut per exteriora tegumenta hyperaemia pelluceat. Quare articuli tumescant, causa posita est in hyperaemia et exsudationibus in articulos textumque cellulosum, quibus exsudationibus a Virchow collateralis oedematis nomen datum est. In iis casibus articuli ut in omni oedemate nitidi apparent. Cutis venae in locis affectis plerumque tument, cutis ipsa extenuata est et extenta. Interdum ex auctiore synovia fluctuatio animadvertitur. Febris morbo adjuncta, si paucis tantum üsque minoribus articulis affectis nullae majorum organorum complicationes exstisterunt, plerumque parva est.

Sed quum majoribus articulis correptis graves natae sunt complicationes, febris intentionem nanciscitur. Ea plerumque typo non constanter remittente est; exacerbationes non certo diei tempore, non, ut fieri solet, vespere, remissiones non mane fiunt

Cutis temperatura, omnino aucta, 37—40 ° C. altitudinem contingit. Pulsus, valde acceleratus, fere ad 90—100 ictus per temporis minut. plerumque est plenus

mollisque; licet gravioribus casibus ad 120—130 ictus augeatur. In corde, etiamsi nulla aegrotatione est affectum, saepe strepitus, quibus nomen est sanguineis, audiuntur.

Praeterea respiratione accelerata cutis fere semper profusis sudoribus tecta est, qui in acidum reagunt maleque redolent. Qui si longius durant graviorique intentione sunt, sudamina, miliaria cernuntur. Sitis vehemens urinaeque minuta secretio ex gravi humoris amissione oriuntur, quam et ex aucta exhalatione et profusa sudoris secretione corpus patitur. Urinae intra 24 horas 150—300 Cub. Cent, mittuntur. Quum productio urinalis ex accelerata materiarum permutatione aucta sit, urina concentrata magno est pondere specifico. Quae urina quum aquae minus contineat quam ut refrigerata sales, qui acidum uricum continent, solutos conservet, acido urico ejusque salibus turbatur; oriuntur sedimenta. Ceteroquin ex auctis salibus, qui acidum uricum continent, colligamus non licet acidum uricum quoque esse auctum, immo id patet ex inquisitionibus potius minui quam augeri.

Sensorium et psyche quamvis proprie turbari fere non soleant, tamen continuis doloribus insomnia et psychica concitatio efficiuntur. — In casibus intensivis rheumatismi articulorum acuti aegroti valde extenuantur multoque privantur corporis pondere.

Ac jam ut ad complicationes progrediar, serosarum membranarum inflammationes ad rheumatismum articulorum acutum frequentissime accedunt idque tum morbi initio tum in decursu tum tempore demum reconvales-

centiae opinatae. Quae inflammationes in levibus rheumatismi articulorum acuti non minus atque in gravibus casibus existunt, in his item abesse possunt atque in levibus. In harum complicationum frequentissimis gravissimisque cordis affectiones ponendae sunt.

Ac primus quidem Bouillaud hujus cordis aegrotationis rheumatismo articulorum acuto ortae mentionem fecit; tamen hae complicationes non tam frequentes, quam ille autumat, evenire videntur. Consequitur quidem ex Vogeli, Fulleri, Ormerodi observationibus, ad rheumatismum articulorum acutum cordis aegrotationem frequenter, tamen non semper gravibus casibus accedere. Bouillaud tamen semper fieri in gravibus rheumatismi articulorum acuti casibus disputat, ut cordis affectio oriatur. Quo major sit affectorum numerus articulorum, eo majorem esse Bamberger censet dispositionem ad cordis et pericardii inflammationes Bouillaud endocarditidis complicationem frequentiorem quam pericarditidis esse observavit, neque hac in re Bamberger et Budd dissentiunt. Symptomata cordis affectionum sunt: cordis excitata actio pulsatioque vehemens; angor, dyspnoë, dolores. In endocarditide circa cordis acumen sonitus, qui plerumque primo, raro secundo sono adjunguntur vel sonum cordis opprimunt; in pericarditide, si coagulatum exsudatum est parvum, fricationes audiuntur, quae fere numqam cum cordis sonis isochronicae sunt. Quum exsudati plus adest, sonus in cordis percussione late obtusior est, thorace magis minusve prosimuato. Nempe, ut paucis dicam, harum aegrotationum sympto-

mata eadem esse solent, quae illae affectiones non complicatae cum acuto articulorum rheumatismo offerunt.

Sed symptomatibus febris aliisque aegroti molestiis nec minus auscultatione praetermissa nec localibus signis cognitis saepissime fieri potest, ut hae complicationes per morbum non inveniantur vel in cadavere demum aperiantur aut reconvalescentia procedente, interdum etiam posterius ex ortis chronicis turbationibus malaque valetudine cognoscantur. Sunt tamen casus, ubi endocarditis et pericarditis malis non relictis abeunt. Saepe in endocarditide ex fibrosae massae coagulis, quae valvulis apposita sunt, partes solvuntur, quae in circulationem progressae in hac vel illa corporis parte residunt ibique secundarias aegrotationes efficiunt; tum saepe infarta splenis et renum oriuntur. In splenis infarto aegroti de doloribus pressione crescentibus sinistri hypochondrii queruntur; huc saepe vomitus accedit. Ex percussione consequitur splenem esse auctum. In infarto renum item dolores nascuntur; praeterea in urina saepe albumen sanguisque inveniuntur. Non raro rheumatismum articulorum acutum comitantur pleuritis, pneumonia, bronchitis; quae complicationes facilius dignosci et intelligi possunt; difficilius est tamen explicatu, quid inter eas et rheumatismum intercedat. Quae tum rheumatismo simpliciter adjunctae eademque causa, qua ille, e. c. perfrictione, natae esse videntur, imprimis in hominibus, quorum respirationis organa ad aegrotationes inclinantur, tum ex rheumatismo articulorum acuto consecutae sunt. Plerumque tamen causae, quibus, ut hae interiores quoque partes aegrotent, dispositio augeantur, non sunt notae.

Haud raro aegrotatio in musculos fasciasque articulis inflammatis appositas procedit. In rarissimis complicationibus meningitis cerebralis et spinalis referendae sunt.

Acuti articulorum rheumatismi, quippe quae aegrotatio plerumque sit valde complicata, decursus maxime varius est; ac vel in casibus prospere procedentibus morbus intensitate variante 3—4 hebdomades, saepe tamen longius durat. Huc accedit, quum morbus sit maxime incertus neque unquam critice deficiat, sed reconvalescentia lente et paullatim symptomatibus existat, ut haec reconvalescentia saepe iterum atque iterum recidivis intercipiatur, quae quidem non raro sunt eadem intensitate, qua primus impetus. Frequenter fit, ut casus, qui morbo ineunte leves prosperique apparebant, deinde per decursum magnam pertinaciam et malitiam induant. Jam quod ad exitus rheumatismi articulorum acuti attinet, non solum levibus casibus, ubi parvo articulorum numero correpto febris parva fuit, sed etiam ubi febris intensiva fuit doloribus tumoribusque magnis, sanitas plane restitui potest. Tum demum proprie periclitatur vita, quum cordis affectiones accedunt; ac periculum tum est maximum, quum jam ex corde laborantes rheumatismo articulorum acuto nec non endocarditide vel pericarditide afficiuntur et huc pulmonum quoque sive pleurae aegrotationes accedunt, ut morbus valde complicatus sit. Sed quamvis morbo ancipite gravique complicationes sint frequentes, exitus letalis rarus est. Nonnunquam tamen fit, ut, nulla cordis affectione, subito collapsu, sudoribus profusis, miliariis erumpentibus mors ingruat, quod, quibus causis fiat, non plane intelligitur. Cadaveribus enim

ejus modi obductis in organis mutationes, quibus mortem concipi dicas, non sunt inventae, quare eam itensiva sanguinis mutatione effici statuerunt; et sane quidem sanguis offertur mutatus et decolor, proprie redolens neque aëre rubescit. Saepenumero sanitas non plane restituitur, quippe febri doloribusque magnis et articulorum plerorumque tumoribus sublatis quum rheumatismus gignitur chronicus, qui magna est pertinacia et saepe numquam tollitur, tum valvularum vitia concipiuntur, quibus aegroti quamvis acuto articulorum rheumatismo hujusque complicationibus defuncti, conficiuntur. Multo post quoque reconvalescentes anaemia laborant ac sanguinei strepitus per totum cor audiuntur.

Therapia.

Quod in plerisque morbis maximi est momenti, ut indicationi causali satisfiat, raro huc pertinet causis fere semper abditis. Quamvis interdum certa causa, ut perfrictio, intellecta sit, haec causa nec rescindi nec prohiberi potest, quominus mali quid gignatur. Rebus, quae in organismum tantum valent, ut materiarum permutationem aliam reddant, sunt, qui fieri posse autument, ut rheumatismus tollatur vel ejus cursus imminuatur. Quod tamen non semper accidere experientia docet. Ut morbi spatium praecidatur, Bouillaud magnam venaesectionem commendat, qua in curatione paucis diebus aegrotos se dicit sanos reddidisse neque unquam exitum letatem observasse. Atqui hanc curationem Chomel, Leyroux aliique neque tam expertem periculi esse nec tam certo cursum praecidere vel malos eventus prohibere aiunt.

Porro antiphlogisticum medicamen kali et natrum nitricum permagnis dosibus, tart. stibiat. refracta dosi adhibentur, quibus medicamentis item cursum contrahi nec minus complicationes praecaveri posse disserunt.

Nostro tempore natr. nitr. parvis dosibus (ʒii: ℥vi) praebetur. Novissimis temporibus succus citri a Britannis commendatus est. Vin. semin. colchic. guttae XV—XX ternis horis cum opio, quum vomitus et diarrhoea sunt orta, valde commendantur. Similiter Chin. sulf. ℈i pro die praecipitur, imprimis longinquis in casibus, ubi vehementes dolores et magna animi turbatio oriuntur.

Ex narcoticis opium et morphium primum locum tenent, quae, etsi in rheumatismo articulorum acuto non specifice valent, tamen sic prosunt, ut doloribus minutis aegroti conditionem meliorem reddant. Aut sola aut tart. stibiat, colchlio, kalio jodato admixtis dantur. Kalium jodat. quoque (gr. X—XX pro die) specifici momenti esse non videtur. Sunt, qui hydrargyrum chlorat. mite vel hydrar. bichlorat. corrosiv. adhibeant; quae medicamenta quid utilitatis afferant, non constat.

Cute valde calida pulsusque frequentia aucta digitalis est apta, acidum sulf. effusa sudatione et siti permagna commode praebitur. Deinde aegrotum aequabili temperatura et quam maxima quiete uti et diaetae rationem diligenter habere oportet. Quod ad temperaturam attinet, nimius calor cavendus est, ne aegrotus nimis sudet, in quam rem maxime pronus est. Perflatus et perfrictio diligenter praecavenda sunt, ac utile est, si articuli affecti xylino circumdantur. Ut dolores leniantur, Chloroformium cum ol. papaveris commendatur. Diaetae hac

in re ratio est habenda, ne febri vehementi vires conficiantur, quare aegrotum validis alimentis uti opus est.

Nisi velamentis calidis aridisque adhibitis articulorum affectio cedat, perfricato aethere chlorico levatio perfecta aut tamen certe haud parva efficitur.

Cataplasmata quoque kali nitrici aqua soluti utilia fuerunt. Sunt, qui cataplasmata madida eademque calida aut emollientia aut narcotica proponant.

Tamen hic est notandum multos aegros madore facillime laedi. Si affectio unum articulum occupare videtur, locales sanguineae detractiones adhibendae sunt. Si sanguineis missionibus iteratis dolores non abeunt et in uno vel altero articulo remanent, dum in ceteris sublati sunt, articulum aut emplastro vesicatorio contegas aut cuti tincturam jodi inducas.

Complicationes ex regulis ad hos morbos pertinentibus curantur.

Historia morbi.

Anamnesis. Carolina Heitmann, 49 annos nata, in juventute semper bona usa est valetudine nec provectiore aetate ullo morbo sese esse correptam meminit nisi intermittente, quam initio quotidiano, posterius tertiano typo fuisse commemorat. Ante dies fere octo quum perfrixisset, se dicit raucam esse factam, ceteroquin bene se habuisse. Paucis diebus post in utraque coxae articulatione dolores rigoremque sensit. Doloribus crescentibus febris accessit. Sequentibus diebus quum dolores in sinistros pedis et genus articulos, tum in eosdem

dextrae partis articulos progressi essent, mulieris conditio magis magisque deterior fiebat. —

Status praesens. Aegrota parva et male alita, cute laxa, sublato panno adiposo, mala musculatura est. Potissimum de doloribus circum os sacrum et in manuum articulis queritur, qui articuli paululum tument; cutis super his posita apparet extenta et subrubra; fluctuationes non cernuntur. Ex pulmonum percussione et auscultatione nihil abnorme animadversum est; cordis pulsus in quinto intercostali spatio acriter percipitur. Cordis soni in basi nihil abnorme offerunt, in acumine primus sonus fere impurus auditur. Organa abdominis non mutata apparent, pelvis organa non inspecta sunt. Temperatura aucta, pulsu accelerato urina fusca est et saturata.

D. XXXI. mens. Jan. vespere p. 124. t. 39,3.

Chin. sulf. gr. X bis quotidie praecepta sunt; porro Acid. sulf. dilut. ʒi ad ℥vi.

D. I. mens. Febr. mane p. 116. temp. 38,8
vesp. p. 124. t. 38,8.

Vespere eaedem notae objectae sunt, quae die praecedente.

D. II. m. temp. 38,4.

Pulsus multo lentior est saepeque cessat, plerumque post septimum aut octavum ictum. Dolores articulorum minuti sunt. Aegrota de occupatione capitis queritur. Extract. carnis et chin. sulf. praeceptum est.

D. II. v. p. 108 t. 38,3.

D. III. m. p. 104 t. 38,1.

Dolores in mannum articulis et circa os sacrum haud magni sunt, tamen multo intentiores in genu. In cordis

auscultatione sonitus audiebatur per totum cor, qui aegrotatione endocardii efficitur.

Vesp. p. 100 t. 37,6.

Die IV. m. p. 96 t. 37,2.

v. p. 108 t. 38,9.

Hirudines quattuor cordis regioni applicatae sunt.

D. V. m. p. 104 t. 37,7.

Cordis auscultatione pericardialis fricatio et rasura acris percipiuntur. Sonus in cordis percussione obtusus est et dextra unum digitum ultra marginem sternalem patet.

Vesp. p. 116 t. 38,3.

Chin. sulf. intermittitur.

D. VI. m. p. 116 t. 38,3.

Fricatione etiam acriore quam heri sonus in cordis percussione est obtusior et duos digitos ultra dextram sternalem marginem, ad superiorem secundae costae marginem, in lineam mamillarem patet. Praecipiuntur: Infus. fol. digit. (e ℈j); sex hirudines cordis regioni.

℥vi.

D. VI v. p. 128 t. 39,4.

Pulsus post octavum vel decimum ictum deficit; aegrota, cujus in universum valetudo mala est, apathica cubat.

D. VII. m. p. 120 t. 38,1.

Conditio etiam in majus discrimen adducta est pneumonia, quae ad endocarditidem et pericarditidem accessit. Sonus in percussione postici thoracis infra sinistram scapulam obtusus est; in eo loco bronchialis respiratio auditur. Endocarditidis massae fibrosae coagula manante

sanguine proluta esse atque in splenis arterias pervenisse, dignosci potest ex his visis. Aegrota de doloribus sinistri hypochondrii, qui pressione augentur, queritur. Praeterea ex percussione splenem esse auctum consequitur. Urina nonnihil albuminis continet.

vesp. p. 120 t. 37,5.

D. VIII. m. p. 120 t. 37,4.

Pulsus parvus est, id quod cordis musculaturae imbibitione, quae interdum ad endocarditidem accedit, efficitur. Qua re quum sanguinis circulatio haud satis procedat et aegrota pneumonia sit affecta, respiratio non sufficit et colli musculis adjuvantibus efficitur. Chin. sulf. praecipitur,

vesp. p. 124 t. 37,5.

D. IX. m. p. 120 t. 38,2.

v. p. 120 t. 37,6.

D. X. m. p. 124 t. 37,2.

Noctu quum propter collapsum excitantia adhiberi oporteret, aegrota in vicem recepit Camph. trit. (gr. iii) cum flor. Benz. (gr. iii), vinum, Chin. sulf. (gr. β).

vesp. p. 120. t. 37,6.

D. XI. mane t. 37,4

Pulsu variante cordis regio ab inspiciente prosinuata cognoscitur. Sonus obtusus eundem adhuc tenet ambitum. Aegrotae, quum infirma sit, eadem, quae antea, praecipiuntur.

D. XII. m. temp. 37,6

Percussio et auscultatio propter collapsum non factae sunt. Cordis regioni, cui antea sinapismus fuit admotus, empl. canth. ord. magn. vol. man. applicatur.

D. XIII. m. temp. 37,5.

Sex horis intermissis empl. canth. remotum est. Pericardiale exsudatum valde defecit prosinuatioque evanuit. Sonus obtusus infra sinistram scapulam respiratioque bronchialis adhuc adsunt. Chin sulf., extr. carn. praecipiuntur.

vesp. t. 37,8.

D. XIV. m. p. 120 t. 37,6.

Noctu aegrota satis bene dormivit; sonus in percussione cordis obtusus digitum ultra dextrum marginem extenditur.

resp. p. 120 t. 37,9.

D. XV. m. p. 120 t. 37,4.

In cordis acumine systolicus quidam sonitus, at minutior quam antea, auditur. Sonus obtusus infra scapulam minutus esse videtur.

D. XX. m. p. 104 t. 37,3.

Noctu aegrota bene dormivit. Sonus cordis obtusus ad dextrum sterni marginem; sonus infra sinistram scapulam tres digitos obtusus est, quo loco respiratio bronchialis auditur et pectoralis fremitus est auctus. Obtuso loco tinctura iodi inducitur; praeterea praecipiuntur Chin. sulf., Acid. sulf. dilut ʒi ad ℥vi.

D. XXVIII. In dies aegrotae valetudo melior fit; sono percussionis obtuso infra scapulam minuto bronchialis respiratio adest. Praecipitur: Tinct. ferr. acet. aeth.

D. X. mens Mart. Sonitu systolico tenuissimo sonus obtusus et respiratio bronchialis infra scapulam non sunt mutata

D. XX. Aegrota sono obtuso et respiratione bronchiali remanentibus bene se habet.

D. I. mens. Apr. Aegrota reconvalescens curatur balneis loco obtuso aquae radio applicato.

D. XX. Loco obtuso respirationeque bronchiali plane sublatis aegrotae, quae se bene habeat et dimitti cupiat, non indulgetur.

D. XXII. Aegrota, quae perfrixit, de doloribus in sinistro manus articulo queritur, qui quidem tumet, quare xylino circumdatur.

D. XXIII. m. p. 120 t. 38,9
v. p. 128 t. 37,9.

Doloribus permanentibus oedema dextrae manus ortum est.

D. XXIV. m. p. 120 t 38,0.

Aegrotae, quae de doloribus magnis circa os sacrum queritur, Chin. sulf. gr. V bis pro die praecipiuntur.

v. p. 121. t. 38,0.

D. XXV. m. p. 106. t. 37,5.

Dolores utriusque manus articulos occupant.

Per sequentes dies pulsuum numerus 120—130 fuit, temperatura non aucta. Auscultato corde systolicus sonitus auditur. In sinistro pulmone respiratio pone est minuta. Aegrota magis magisque convalescens, viribus crescentibus, die altero mens. Jun. dimittitur, quo tempore mali nihil, nisi sonitus systolicus, remansit.

VITA.

Natus sum Albertus Krause in Silesiae superioris vico, cui nomen est Zauditz, anno h. s. XXXVIII die XXIV. mens. Aprilis, patre Jgnatio, matre Theresia, e gente Kriebel, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum catholicae. Primis literarum elementis imbutus adii gymnasium Leobsitiense, quod adhuc auspiciis directoris Henrici Kruhl floret. Unde testimonio maturitatis instructus auctumno anni h. s. LXI. almam universitatem Vratislaviensem petii, ubi a rectore magnifico Ill. Semisch in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. Middeldorpf, medicorum ordinis decanum maxime spectabilem, nomen rite professus sum. Paschali autem tempore anni h. s. LXIV. almam Gryphiam me contuli et ab Ill. Bardeleben rectore magnifico ac decano Ill. Pernice in studiosorum numerum relatus sum. Per octo semestria audivi disserentes:

Vratislaviae:

Ill. Barkow: de anatomia systematica et generali, de anatomia comparata; idem dux mihi fuit in arte cadavera rite secandi.

Ill. Grosser: de osteologia et syndesmologia.

Ill. Loewig: de chemia organica et anorganica.

Ill. Gruber: de Zoologia.

Ill. Braniss: de logice et psychologia.

Ill. Heidenhain: de physiologia, de histologia; idem dux mihi fuit in exercitationibus microscopico-physiologicis.

Ill. Marbach: de physice experimentali.

Ill. Cohn: de botanice.

Ill. Aubert: de embryologia.

Ill. Haeser: de pathologia et therapia generali, de materia medica et arte formulas medicas rite conscribendi.

Ill. Middeldorpf: de chirurgia et generali et speciali, de luxationibus; idem dux mihi fuit in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Betschler: de gynaekologia.

Ill. Lebert: de pathologia et therapia speciali, de syphilide. Idem dux mihi fuit in clinico medico.

Exp. Lewald: de auscultatione et percussione.

Exp. Klopsch: de instrumentis medicis, de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Exp. Freund: de operationibus gynaekologicis.

Gryphiae:

Ill. Bardeleben: de herniis, de morbis chirurgicis thoracis. Idem dux mihi fuit in operationibus in cadaveribus instituendis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Mosler: de pathologia et therapia speciali. Idem dux mihi fuit in clinico medico et psychiatrico.

Ill. Pernice: de morbis mulierum, de morbis neonatorum. Idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice, de ophthalmoscopia.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica; eundem ducem in exercitationibus de anatomia et histologia pathologia secutus sum.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.

Exp. Heineke: de chirurgia speciali, de fracturis et luxationibus.

Quibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas atque semper gratum animum conservabo.

THESES.

I.

Opium delirii trementis est optimum remedium.

II.

In pneumonia non semper est rejicienda venaesectio.

III.

Hernia incarcerata nullo remedio nisi taxi aut herniotomia tollenda est.